



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola I. Ad Constantivm Episcopvm Mediolanensem. Congratulatur quod
bene receptus sit a suis, & munus episcopale describit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

GREGORII MAGNI PAPÆ I.
EPISTOLARVM LIBER III.

INDICT. XII. ANNO ORDINATIONIS EIVS IV.
Mense Septembri.

EPISTOLA I.

AD CONSTANTIVM EPISCOPVM MEDIOLANENSEM.

Congratulatur quod bene receptus sit a suis,
& munus episcopale describit.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

SCRIPTA fraternitatis vestræ suscipiens, magnas omni-potenti Deo gratias retuli, quia ordinationis vestræ merui celebratione releuari. Quod vero ex superno munere in electionem vestram concorditer omnium conuenit assensus, hoc fraternitas tua cum summa debet consideratione pensare: quia post Deum valde est debitrix eis qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt. Decet igitur vos sacerdotali benignitate eorum moribus in omnibus respondere, eorumque necessitatibus pia compunctione succurrere. Si quorum fortasse sunt vitia, hæc matutinis obiurgationibus increpate, ut ipsa quoque sacerdotalis indignatio virtute fit admixta dulcedinis: quatenus & tunc a subiectis amari debeat, etiam cum grauiter timetur. Quæ res personam vestram apud eorum iudicium in magnam quoque reuerentiam adducit: quia sicut præceps furor visitatusque despicitur, ita contra culpas discretain-dignatio plerumque quo tarda fuerit, eo amplius fit timenda. Ioannes vero subdiaconus noster multa nobis bona tuæ fraternitatis rediens nuntiauit. De quibus omnipotentem Deum petimus, ut hæc qui coepit, ipse perficiat, quatenus te interius exteriusque profecisse, & nunc inter homines, & post inter angelos ostendat. Præterea pallium ad sacra Missiarum solennia vtendum ex more transmisi-mus. Sed peto ut dum hoc suscipitis, eius honorem ac genium ex humilitate vendicemus.

EPISTO-